# FLAMINIA



## INVERSÆ ROMÆ

*AMORIS SCILICET DIVINI*

Triumphantium inter flammas CHRISTI Athletarum

## PAULI

## IGNATII & XAVERII

Magnis olim patefacta triumphis,

*Celeri eorundem calcaneo*

## SUPERATA,

Nunc verò

*Inter tristes, extincti, in Ara Crucis, Ignis consumentis ferias;*

In

Littavo Latio

*Mœsto spectatori*

*Ad scenicos ignes, lugubri Stylo*

## INDIGITATA

Ab

Illustrissima, Perillustri, Prænobili ac Magnifica Academico-Oratoria Palæstra Vilnensi Societatis JESU,

*Anno venientis DEI ignem mittere in Terram* 1723.

*13tio Kalend: April:*

# ARGUMENTUM.

IGnatianis olim ſuccenſa ignibus, & inconcuſſo D. Xaverii zelo ſolidata Japonia igneos non niſi aut ſaxeos parere novit Athletas. Horum utiq; è numero, ille eti Illuſtris, ſanctiorem prodiit in lucem, Martyrum ternio, Ignatius ſcilicet & Xaverius par nobile Fratrum, clari generis nec obſcuræ virtutis Parente, in Regno Izukumi, Paulo Fikundaiu Catholico zeloſiſſimo orti, qui ſuo cum Patre, circ Annum Domini 1632. ſæviente in Chriſtianos perſecutionis flamma, primò vari ad defectionem ab orthodoxa fide tentati, dein nequicquam proficientibus minis & blanditiis, ad lentos per Toxongunſamam Japoniæ Imperatorem damnati ignes eosdem, ardentiſſimæ in Chriſtum charitatis incenſi flammâ, cæleſtem veluti jan ſibi apertam ſpectantes Flaminiam, animosè ſubeunt. *Hiſt: Iap: par: 2. lib: 4. C. 1*

# PROLOGUS.

REligio Chriſtiana inter Japonicas petras, infortunatum ſuum deplorans exilium ubi in occiſorum Chriſtianorum incidit cadavera; luctuoſiore adhuc affligitur moerore. Verùm ignibus depluente Cælo, grandiorē Chriſtianitati imminere cladem ſibiq; iſtas parentales fore flammas ominatur, quibus nonnihil territa in profundiores divertens cavernas, reperit Genios Pauli, Ignatii, & Xaverii, columbas velut in foraminibus petræ à ventura tyrannidis irâ deliteſcentes, qui ab adventante Tyrannide infernalibus comitatâ furiis, in fugam vertuntur: ſola Religio, murô velut ahe eô, fixi in Cruce Salvatoris oppoſita effigie, illam Marpeſia utpote caute duriorem, in durum convertit ſilicem.



# ACTUS PRIMUS.

*Scena 1ma.* Sopitis ſub Crucifixo Ignatio & Xaverio, cæleſtis accinit harmonia, ad cujus exciti vocem, advertunt inter nubes ardeſcentem Flaminiæ inſtar Cometem, hocce notatum charactere: *Pandet triumphis Flaminia veſtris iter.* Undum varia formant omina, erumpentibus è vulneribus Crucifixi flammis, ad amorem ejusdem ſe excitari per viſa prodigia, interpretantur, à ſuperveniente interea Præcone priùs ad aulam Imperatoris, dein ad ſacrificandum Diis, evocantur

*Scena 2da.* Obvii Parenti Ignatius & Xaverius, viſionem eidem referunt, quam dum Paulus favorabiliter in Filiorum & ſuam partem detorquet, ad iteratum adventûs Imperatoris nuntium, omnes ſe in occurſum proripiunt.

*Scena 3tia.* Toxongunſama Japoniæ nuper Imperator Neo-inauguratus gratulabundæ applaudentiq; ſibi aulæ, novos honorum titulos partitur; inter quos, etiam Paulum cum Filiis, ob ſpecialem eorum fidelitatem Prædeceſſori ſuo Xongunſamæ præſtitam, Principes Imperii creat, & torquibus aureis præmiatur. Inſuper pro ſucceſſu ſui Regiminis; Patriis Diis ſacrificaturus, victimas inſtaurar mandat, ubi Paulum etiam cum Ignatio & Xaverio adeſſe jubet.

*Scena 4ta.* Paulus Ignatium & Xaverium de novo Aulæ favore Principumq; inſignibus plaudentes jamq; verificatum ænigma ſibi gratulantes, paternè reprehendit Metuens inſuper illorum in fide conſtantiæ, ſalutaribus adhortatur monitis. Sollicitus interim de viſionis Filiorum ambiguo ſenſu, dum cum iisdem ad Eremitam Conſilium petiturus, tendit, in ſepulchra Martyrum Japonenſium errore delabitur ubi Chriſtianum quendam Juvenem à perſecutione latitantem offendens, ab eoden ad Eremicolam, qui perplexitatem viſionis ſolvat, deducitur.

*Scena 5ta.* Ignatius & Xaverius digreſſo in profundum ſylvæ Patre ad quærendum Eremitam, dum hunc protenſiore capillitio adventantem conſpiciunt, latronem ſibi inſidiantem putantes, fugam arripiunt, ſed ab accurrente Patre detenti, inter aſceticos cum Eremita de fide diſcurſus, viſionem illam & characteres pro fatuis mundi ignibus & falſorum Numinum Flaminio, Cæleſtis illis præſignatæ Flaminiæ notas eſſe agnoſcunt; ſimulq; ab eodem nobile & illuſtre fatum ſibi Propheticè prædici audiunt: *Cum Patre natos tollet illuſtres Polus.* Singuli demùn Crucifixi effigie donati, & ſvavi camoenâ ad compatiendum CHRISTO patient animati, dimittuntur.

CHORUS

# CHORUS PRIMUS.

IDololatria nunquam Christiano non infensa Nomini, cerberea planè rabie, cùm percussorem non posset, saxum (quòd saxeum Virum denotat Xaverium) frustra Theonino mordet dente; nam igne Cælis illato, (qui Ignatium indigitat) ictamq; rupem incendente absterretur; quem dum limpidissimis fontibus, qui in loco cædis Divi Pauli Apostoli erupêre, extingvere conatur, ab acephala ejusdem Doctoris Gentium statua, (quæ Paulum Japonensem figurat) strictoq; gladio minitante, stygio utpote digna profundo, repellitur, & in furias acta, in patentem averni abyssum se præcipitat, lugubri cantu umbris sibi parentantibus.

# ACTUS SECUNDUS.

*Scena 1ma.* Reduces ab Eremo Ignatius & Xaverius obviant Flammingo, Inabæ Gubernatoris Ozacensis Filio, quem principiis Orthodoxæ fidei imbutum svaviter ad ejurandum idolorum cultum inducunt. Hic, dum amore veri Numinis succensus, flammas in Kami, sic dicta idola, incautus jacit, Ara priùs, dein Fanũ, cum proximo totius Urbis periculo, ignem concipit.

*Scena 2da.* Inaba præventurus Imperatorem ad Fanum, audit tubam triste canentem: acceptoq; nuntio de grassante in Urbe flamma, accurrit celer subsidium laturus: sed dum jam serò & in cassum aquas cineri superfundere satagit, repertum ibidem ternionem Juvenum, suspicans illos Authores fuisse incendii; flammis injici jubet, ignarus inter eos suum etiam Filium commorari: Satelles propero Gubernatoris mandato parens, arreptum Flammingum nesciens, quisnam ille sit? mediis intrudit ignibus. Dilapsis interim è manibus militum Ignatio & Xaverio, Flammingus dum inter flammas Patris inclamat opem, frustra Inaba eum salvare conatur. Hinc præceps incusans factum, in furias contra Ignatium & Xaverium eorumq; Patrem exardescit.

*Scena 3tia.* Defert Imperatori Inaba conflagrationem Fani Ozacensis, Authoresq; ejus, Paulum cum Filiis calumniatur; quibus Imperator motus, extrema quæq; Christianis minatur. Paulum verò cum Filiis illico ad aulam acciri mandat; dextrè hæc observante & subaudiente ad partem Paulo.

*Scena 4ta.* Paulus dilapsos nuper à furore Gubernatoris inquirens Filios, repertis illis minas Imperatoris contra Christianos exponit; unàq; cum iisdem constantiam in adversis pro fide, inter varios affectus ante Crucifixum efflagitat: tandem omnes ad Imperatorem evocantur.

*Scena 5ta.* Imperator adveniente Paulo cum Ignatio & Xaverio, ad primum eorum conspectum excandescens, perfidiam succensionemq; Fani eis exprobrat. Modestè interea ad singula respondentes, iterum Tyrannus blandimentis aggreditur, modicum illis tempus ad resipiscendum concedens. Xaverium verò utpote tenerioris adhuc indolis adolescentem, seorsim, Lucingo Mibudoni Dynastæ Filio, ad idolorum cultum pertrahendum committit.

# CHORUS SECUNDUS.

GEnius Pauli cum aliis duobus, Ignatii scilicet & Xaverii, ardenti Crucifixi incensi amore, dum in amplexus ejusdem provolant, propriaq; corda flammis æstuantia conspicientes, in illos supernæ Patriæ flagrantissimi desiderii Augustini prorumpunt affectus: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Sicq; amico consumpti lumine, igneam in Terris Amoris Divini consummant Flammiam.

# ACTUS TERTIUS.

*Scena 1ma.* Lucingus dum Xaverium ad falsorum Deorum cultum pertrahere intendit, ipse veri Numinis notitiâ ab eodem imbuitur. Ab adveniente demum Ignatio magis in fide solidatus unà cum Xaverio ad Crucifixum ducitur, ubi omnes, svaviter eò trahente in funiculis charitatis amore Crucifixi, eidem se, aureâ catenâ, olim ab Imperatore sibi donatâ, inter illas, contra varios Tyranni insultus.

fultus ad CHRISTUM voces: *Non te dimittam, donec benedixeris mihi,* fortiter adſtringunt; dum autem præ vehementia amoris Divini deliquium patiuntur, illâ Doctoris Gentium teſſerâ: *Quis nos ſeparabit à charitate CHRISTI,* cælitûs recreantur.

*Scena 2da.* Fingous quidam Idololatra ſingulis ex occulto intentus, ad tollendos tacitè CHRISTI Tyrones, catenas, quibus alligati erant Crucifixo, venenô inficit, moxq; à ſuperveniente Mibudono ſuſpicanteq; eum eſſe Chriſtianum, comprehenditur. Advertens interea Mibudonus Filium ſuum exanimem cruci alligatum, putansq, à Fingoo ſtrangulatum, ad Imperatorem eum trahi jubet. Disjiciens verò Mibudonus vincula, dum Lucingi catenam ſolvere facilè nequit, dentibus eam diſrumpere tentans, venenum ex illa haurit.

*Scena 3tia.* Mibudonus dum Fingoũ tanquam interfectorẽ ſui Filii ſiſtit Imperatori, ipſe ſubitò, ſerpente per viſcera veneno non pridem hauſto, extingvitur. Imperator, cauſam celeris fati Mibudoni ignorans, in Chriſtianos eam ex inſtinctu Dynaſtarum Idololatrarum devolvit: ſed ab adveniente Lucingo ſeriem rei (quam poſt deliquium reſumens Spiritum tacitè obſervabat) edoctus, Fingoum incarcerari, jubet. Lucingum verò intelligens Chriſtianis inſtructum dogmatibus, eidem cuſtodiæ tradit; mortis ſimul Decretum contra Paulum ejusq; Filios jamjam laturus, eosdem ſibi abſq; mora ſiſti imperat.

*Scena 4ta.* Paulus cum Ignatio & Xaverio acceptô Decreti mortis nuntiô, depoſito, ſub Crucifixo, ſplendidiori amictu, togas, Chriſtianis ad Martyrium deſtinatis uſitatas, aſſumunt, atq; ab Eremita animantur.

*Scena 5ta.* Nuntius Imperatori defert Paulum cum Filiis, loco reſipiſcentiæ, firmiter CHRISTO adhærere; aſſeritq; non auſum ſe eos trahere ad aulam, ob metum præſtigiarum, quas ſuſpicabatur ex colloquio eorum cum Eremicola. Hinc Satellites ad eos exnunc pertrahendos expediuntur. Imperator verò ſenſum Dynaſtarum de liberando ex carcere Fingoo inquirit, favorabiliterq; decidit.

*Scena 6ta.* Advenientes Paulus, Ignatius, & Xaverius ad Imperatorem, veluti præſtigiatores, contemptores Deorum, & incendiarii accuſantur, reponentibus verò illis, vitæ ſe non mortis Authores eſſe; iterum Imperator eos ad cultum Idolorum cogit; ſed conſtanter hoc etiam illis renuentibus; Paulum primò, dein Ignatium & Xaverium lentis ignibus cruciandos, lugubri ſpectaculo produci jubet, Decretiq; executionem Inabæ committit.

*Scena 7ma.* Læta oblato ſibi tam illuſtri agone trias Martyrum, nunc primùm tandem de ſe illud cognoſcit verificandum oraculum: *Pandet triumphis &c:* illudq; Eremitæ vaticinium: *Cum Patre natos &c:* Interea Ignatius & Xaverius Parenti prius pyram conſcenſuro ultimum vale reddunt, principemq; Sortem gratulantur. Ipſi verò dum mutuis inhærent amplexibus, Parentiq; inter flammas triumphanti applaudunt, à ſatellitibus ad locum ſupplicii raptantur.

*Scena 8va.* Ignatius & Xaverius conſpecto ad Portam Civitatis, Romanæ illi non abſimilem Flaminiæ, exanimi jam & ſemiuſto intra feralem rogum Parente, ipſi ultrò ad ignem provolantes, inſtanter à ſatellitibus efflagitant præparatis alligari Columnis, ſtupentibus ad id vel ipſis lictoribus. Expanſis itaq; in modum Crucis palmis, prehenſam Martyrii palmam, & ſe Cæleſtem ingreſſos Flaminiam invicem gratulantur; interq; flammas magis Amore CHRISTI, quàm ignis ardore conflagrantes, in ſplendoribus Sanctorum è propriis cineribus redivivi veluti Phænices, ad ſuperos provolantes, illuſtriorem vitam auſpicantur.

## E P I L O G U S.

ORator tragicâ amoris & doloris Flaminiâ, de Monte Oliveti ad Golgotham properantem viatorem DEUM, lugubri proſequitur ſvadâ.

## Ad
## M. DEI patientis Gloriam.